



GANG FORWARD
WILLIAM STIRLING

Permission to use the Reading Room will be withdrawn from any person who shall write or make marks on any part of a printed book or manuscript belonging to the Museum.

Press Mark.	Heading and Title of the Work wanted.	Place.	Date.	Size.
555.c.2	Schnelboltz, Gab. Warhafftige Bildnis etlicher hochlöblicher Fursten und Herren .. 1562, gedruckt zu Wittenberg durch Gab. Schnelboltz. 4o.			

In this volume the Portraits of Duke Frederick III., John I, John Frederick,* Henry & Maurice seem ob. from same blocks as in Icones Impp. Regum, Principum Electorum et Ducum Saxoniae. Jena 1597 fo.

(Date) (Signature).

*J.F. bears the mark of Lucas Cranach.

(Number of the Reader's Seat).

Please to restore each volume of the Catalogue to its place, as soon as done with.

date 1593. – A5 verso.
" 1597 – D3 verso.
sign. C. K. – A6 verso
portrait de C.6 recto,
ressemble à celui de
Cranach

Nagler – Monogr. II 106–107.
le maître C. K est un
anonyme de l'école
de Lucas Cranach, travaillant
vers 1590–1610 en Saxe.

REUSNER, NIC., Icones sive Imagines Impp. Regum, Principum, Electorum & Ducum Saxoniae. Jena, Steinmann, 1597. With small woodcut on the title, 39 full page woodcut portrs. and large arms at the end. H. leather (19th cent.), sm. folio.
Adams R 412. Not in the British Museum. Late but good impressions of the cuts.

ICONES SIVE IMAGINES IMPP. REGVM, PRINCIPVM, ELECTORVM ET DVCVM Saxoniæ,

Vnà cum eorundem elogijs

NICOLAI REVSNERI LEORINI Comitis Palatini Cæsarei, et Consiliarij Saxonici.



Cum Privilegio Cæsareo & Saxonico.

IENÆ

TYPIS TOBIÆ STEINMANNI: Impensis HENNINGI GROSII ciuis & Bibliopolæ Lipsensis, Anno M. D. XCVII.



SERENISS. ILLVSTRISS. Q.
PRINCIPIB.
FRIDERICO GVILIELMO
PROELECTORI,
CHRISTIANO II. ELECTOR.
HAEREDI,
eiusq. Fratrib. Germ.
IOANNI GEORGIO & AVGVSTO,

Nec non
IOHANNI,
IOANNI CASIMIRO,
&
IOANNI ERNESTO,

Vniuersis ac singulis

DVCIBVS SAXONIÆ, LANDGRAVIIS TVRINGIAE, MARCHIONIB. MISNIAE
SACRI ROM. IMPERII
Principib.

MAIORVM SVORVM
LAVDATISSIMOR.
HEROICARVM NON MINVS
VIRTVTVM
QVAM DIGNITATVM FORTVNARVMQ.
AMPLISSIM.

HAEREDIB. ATQ. SVCCESSORIB. OPT. OPTATISS. Q.

THEATRVM HOCCE ICONICVM

TANQVAM AVGVSTVM VIRTVTIS ET SAPIENTIAE TEMPLVM

Non solúm

VIVIS, LICET MVTIS, INCLYTAE PROSAPIAE SAXONICAE PRINCIPVM IMAGINIBVS

Sed &

EORVNDEM ELOGIIS MVSARVM VOCE LOQVACIBVS

TANTAE ET TAM ILLVSTRI VIRTVTI DEBITIS

AFFABRE INSTRVCTVM ATQVE EXORNATVM

NIC. REVSNERVS COM. PAL. CÆS.

DEVOTISS. OBSEQVII MONVMENTVM

D. D.



Paulus Iouius lib. 5. Elogiorum.

Mirificè iuuat heroes, præsertim eos, quos inclyta virtus nostro seculo clarissimos fecit, ex veris imaginibus repræsentatos, rursus uti adhuc superstites oculis intueri, & benigna cogitatione suspicere, tanquam defunctos, atq; omni prorsus inuidia carentes, quos ipsi de facie nouerimus, gerentesq; bella varijs periculis atq; victorijs inclaruisse viderimus. Habet enim in se hoc illustris & excellens virtus, ut eâ præditos, & cæteris præstantes, vel apud ipsos hostes ac inimicos, in admirationem rediuiuâ cum laude perducat, inijciatq; elegantioribus ingenijs quendam honestæ cupiditatis aculeum, agnoscendis eorum formis & vultibus, qui res literarum memoriâ dignas forti consilio & pugnaci dextra confecerint. Quandoquidem res magnæ & memorabiles plerunq; ex variâ tot casuum reputatione, à legentibus scripta, aut picta ora spectantibus voluptatem & dolorem, preq; habitu præduri vel mollioris animi interdum ex indignitate improbè atrociterq; factorum, miserationem & lachrymas eliciunt.

INDEX ICONVM DVCVM SAXONIÆ.

MAGNI DVCES SAxoniæ.

1. VVitichindus Rex ultimus.
2. Ludolphus.
3. Bruno.
4. Otho.

IMPP. ROM. SIVE Cæsares.

1. Henricus Auceps.
2. Otho I. Magnus.
3. Othó II.
4. Otho III.
5. Henricus Sanctus.

DVCES LVNAEBVRGII.

1. Hermanus Bilingus.
2. Benno.

ELECTORES SAXONIAE

E ducibus Lunaburgijs.

1. Bernhardus I.
2. Otdolphus.
3. Magnus.

E Comitibus Supplinburgi.

4. Lotharius IMPERATOR.

E Ducibus Bauariæ.

5. Henricus I. Superbus.
6. Henricus II. Leo.

E Ducibus Anhaltinis.

7. Bernardus II.
8. Albertus I.
9. Albertus II.
10. Rodolphus I.
11. Rodolphus II.
12. VVenceslaus.
13. Rodolphus III.

E Landgrauijs Turingiæ & Marchionibus Misniæ.

15. Fridericus I. Bellicosus.
16. Fridericus II. Placidus.
17. Ernestus.
18. Fridericus III. Sapiens, designatus Rex Romanorum.
19. Iohannes.
20. Iohannes Fridericus.
21. Mauricius.
22. Augustus.
23. Christianus. I.
24. Fridericus Guilielmus Proelector.

DVCES SAXONIAE.

Henricus.
Ioan. Fridericus II. Ioan. Guilhelmus, & Ioan. Fridericus III.
Christianus II. Ioan. Georgius, & Augustus.
Iohannes.
Iohannes Casimirus.
Iohannes Ernestus.

VVITICHINDVS

VVITICHINDVS MAGNVS REX VLTIMVS, ET DVX MAGNVS SAXONIAE I.

Remp. 4. Regn. 12.



PRimus Saxoniæ Dux Magnus,& ultimus idem
Rex,alto regum ſanguine cretus eram.
Magna mei regni virtus,& magna poteſtas:
Corporis at major vis animique mei.
Tricennale movens bellum tibi CAROLE Magne:
Acria tot dubio prælia Marte gero.
Quàm benè victoris ceſſit mihi gratia magni!
Te duce,do Chriſto nomen,& arma fero:
Ipſe ſalutiferi perfuſus fluminis undâ:
Hinc mihi parta ſalus eſt populoque meo.
Iamque potens latè,Suevo cumPrincipe pugnans
Fortiter,occumbo non ſine laude foris.

LVDOLPHVS MAGNVS DVX SAXONIAE. II.

Kemp. 7.
Reusn. 14.



FLore virens animi pariter LVDOLPHVS & æui,
Dux pius, & pronepos, Rex VVITICHINDE tuus:
BRVNONIS post fata patris rego Saxonis oras:
Promeritus Magni nomen & ipse Ducis.
Albis quæ latè hinc interluit, inde Visurgis,
Finibus adijcio regna beata meis.
Sed quàm Marte ferox, & vinci nescius armis,
Tam fidei seruans, & pietatis amans.
Relligionis amore saluto mœnia Romæ:
Relliquiasque sacras Dux sacer inde fero.
Munera quæ sacræ dono Vestalibus ædis,
Quæ tumulum servat nunc quoque fida meum.

BRVNO

BRVNO MAGNVS DVX SAXONIAE. III.

Remp. 6. Rebr. 13.



MAgnanimus Princeps, belloque expertus & armis:
Multa ſub aſsiduo Marte pericla fero.
Dum vanos Diuûm cogens deſiſtere cultus,
Externo Chriſti planto ſub orbe fidem.
Dania ſit teſtis mihi, ſit Normania tellus
Victrices toties utraque paſſa manûs.
Mars dubius, nec certa ſatis victoria: victor
Ad mare repreſſus rurſus ab hoſte fero:
Cum merſo ſalſis in fluctibus agmine perdo
Biſſenos Comites, Pontificeſque duos.
Ipſe ſimul pereo, (heu) dignus meliore ſepulchro:
In pelago magnos triſte iacere duces.

OTHO MAGNVS DVX SAXONIÆ IV. ROM. IMP. DESIGNATVS.

Romp. 8.
Rud. 14.



SAxonicæ Magnus Princeps OTHO nuncupor oræ:
Par sic & nomen Patris Avique gero.
Magna fides animi, mentis moderatio magna,
Relligioque Dei laus mihi magna fuit.
Perdomo Vandalicas acie victrice cohortes:
Imperio subdo Vandala regna sacro.
Imperio Cæsar designor denique sacro:
Deprecor ætatis nomine, tale decus.
Pro me CVNRADVM rectorem destino regni:
Imperii tutor nominor ipse sacri.
Imperii toties at detrectata, sepulto
Filius HENRICVS Cæsare sceptra capit.

HENRI-

HENRICVS AVCEPS ROMANORVM IMPERATOR V.



SAxoniæ primus poſt Francos impero Cæſar
HENRICVS, patriæ gloria prima meæ.
Aucupor, aucupiumque meum ſunt Romula regna:
Cura ſed aucupij non fuit iſta mei.
Fortunæ ſecura nitet, dijs proxima virtus:
Quam cupidis ultrò paſsibus ambit honos.
Arnulphum vici ſine vi, ſine ſanguine Boium:
Hunnorum Salæ ripa cruore rubet.
Te quoque Ruſſe ferox, te Vandale, teque Boeme,
Et te Mars domuit, Dalmata ſæue, meus.
Fine diem placido, Patriæ Pater, arbiter orbis,
Multa obeo Cæſar poſt benefacta ſenex.


OTHO I. ROM. IMPERATOR *cogn.* MAGNVS VI.



MAgnus OTHO magnis nōmen virtutibus æquo:
Soſpite me, ſoſpes Teutonis ora fuit.
Seu pacem, ſeu bella gero, Dij cœpta ſecundant:
Auſpice ſi quid ago numine, dexter ago.
Filius hinc victus, fraterque generque rebellis:
Et Francūm ſocias Belga ſecutus opes.
Quid memorem Scythicis egreſſos finibus Hunnos?
Quid domitas gentes, magne Boeme, tuas?
Adde, quod Auſoniæ ſævos punire tyrannos,
Et leges potui ferre, Quirine, tibi.
Morte piâ, Cæſar pius, inter ſacra Deorum
Iam ſenior vitam reddo animamque Deo.

OTHO II. ROM. IMPERATOR VII.

Remp. 11. Reu. 17.



IMperio Patri, sed non virtute secundus:
Anteit ætatem vis animosa meam.
Nam puer impubes, & adhuc non utilis annis,
Argiuo Calabrûm tutor ab hoste solum.
Seditione potens regno Patruelis adempto
Exulat, & pœnas impietatis habet.
Tres pariter Reges Martem finire coegi,
Sarmaticum, Cimbrum, teque Boeme tuum.
Perfida Gallorum domui quoque fortiter arma:
Argolicas sed dum vindico classe manûs:
A Siculis captus, linguaque redemptus & ære,
Ausoniâ claudo liber in vrbe diem.

OTHO

OTHO III. ROM. IMPERATOR IIX.

Remp. 12.
Anus. 18.



Marte ferox, & pace potens, virtute fideque
Inclytus, & regni callidus arte puer:
Sceptra gero: Latijs indictâ pace tyrannis,
Eligo Pontificem, Roma superba, tuum:
GREGORIVM sacræ dignatus honore cathedræ:
Quo pulso, Romam Marte furente peto.
Vrbs capitur, victasque mihi dat perfida dextras:
Præsul vtroque nouus lumine captus obit.
Quique sibi fasces Consul Crescentius vrbis
Vindicat, ad Stygias it iugulatus aquas.
Quod de gente tuà legitur Germania Cæsar,
Acceptum debes legibus omne meis.

HENRI-

HENRICVS SANCTVS ROM. IMPERATOR XI.

Remp. 12. Ann. 20.



FElix militiâ, vitâ castusque piusque,
Sumptibus erexi splendida fana meis.
Fratres edomui CVNIGVNDAE conjugis ambos;
Flandria quando subit capta Metisque jugum.
Sarmaticâ fudi junctum cum gente Boemum:
Christiadum docui Pannona regna fidem:
Quando soror STEPHANO datur uxor GISELA Regi:
Cumque Saracenis arma cruenta tuli.
Quid Frisios Henetosque loquar, victosque Pelasgos?
Cœlitis hinc nomen pro pietate fero.
Magna fuit gentes bello frenasse superbas
Gloria: sed major fama fuisse pium.

HERMANNVS BILINGVS DVX SAXONIÆ ET LVNEBVRGI I.



PAtria cui Stuccorna domus dat nomina gentis:
Saxonicæ clarus nobilitatis Eques:
Marte valens ac pace, domique forisque probatus:
Virtutum superat nobilitate genus.
Magnus OTHO Cæsar patriæ quem præficit oræ;
Subdit & Albiacæ jugera lata plagæ.
Ac Lunæburgi magnum jubet esse Dynastam:
Primus ubi tumuli nobile marmor habet.
Armis invidiam propulsat fortiter omnem:
Templa Deo sacrat relligionis amans.
Sincerus Christi cultor constansque per omne
Aevum, virtutis præmia dignus habet.

BENNO

BENNO DVX SAXONIÆ ET LVNEBVRGI II.



PRimus OTHO Ducis HERMANNO dat nobile nomen:
Firmat BENNONI quod decus alter OTHO.
Dux pius & juſtus, recti defenſor & æqui;
Commodior patriæ, quàm ſibi, BENNO ſuæ:
Relligionis amans ſimul, & virtutis: & armis
Inclytus, & procerum maximus ipſe ſago.
Cæſaris inprimis generoſus miles OTHONIS:
Penè puer puero junctus amicitiâ.
Cum quo Sauromatas & Cimbros Marte coercet:
Ponit & Auſonio fulgida caſtra ſolo.
Vandaliæ populos compeſcit robore dextræ:
Mandat & impoſito ſubdere colla jugo.

BERNHARDVS I. ELECTOR SAXONIAE I.



PRimus Saxonico BERNHARDVS regnat in orbe
Armiger: HERMANNO Principe Patre satus.
Lunæburga tuus Dominus, Princepsque secundus:
Tertius Imperij cui decus addit OTHO.
Clarus erat Princeps animo factisque: Boemos
Compulit HENRICI Cæsaris arma sequi.
Grande jugum domitâ recipit cervice rebellis
Vandalus: at CHRISTI non colit usque fidem.
Principis expertus mores dominantis auaros:
Auro pulsa fides sic pietasque fugit.
Tyrigetis adversa movet pugnacibus arma:
Post octo moritur lustra peracta domi.

ORDOL-

ORDOLPHVS SAXONIÆ ELECTOR II.



FOrtis, at infelix ORDOLPHVS filius armis.
Saxona, defuncto pro Patre, regna regit.
Vandalus infestat sævus quem Marte cruento;
Vlturus Patris facta superba sui.
Prædo potens populatur agros: Christique professos
Salvificam, rigido conficit ense, fidem.
Tristius est letho lethi genus: uxor acerba
Morte luit domini GISELA facta sui.
Prælia qui superis miser irrita miscet iniquis;
Atque domum victus semper ab hoste redit.
Nusquam tuta fides: desertus ab omnibus anno
Bisseno, vitæ lumine cassus, obit.

MAGNVS ELECTOR SA-
XONIAE III.



Magnus eras animo virtuteque MAGNE: salute
Prælia pro patriæ sæpe secunda facis.
Vandalicum superas præsenti Marte tyrannum:
Amissum genti restituisque decus.
Auxilioque juvas Obetritas: Lusatiumque
Imperio cogis subdere colla sacro.
Pace carens, patriâ damnatum excedere terrâ
Cæsar, & hinc cogit vincula dura pati.
Cæsar opes, sed non animum tibi maximus aufert:
Sors raro magnis parcit iniqua viris.
Fortunâ dignum sic te meliore fatebor;
Sed tu fortunæ victor es ipse tuæ.

LOTHA-

LOTHARIVS ELECTOR SAXONIÆ IV, ET ROMAN. IMPERATOR.



MArte potens, vinciq́ue LOTHARIVS inſcius armis;
E Supplinburga gente domoq́ue ſatus:
Cæſaris auſpicio Septemvir Saxo creatus:
Cæſareum meruit per ſua facta decus.
Subjugat Imperij non magnis viribus urbes:
Et ſtatuit multis parta trophæa locis.
Quid? quod ad urbanas quoque pacis idoneus artes,
Et pius, & juſtus munificuſque fuit.
Sexcentis annis Latio jus orbe ſepultum
Protulit in lucem reſtituitque ſacrum.
Vndecimo raptum quem Parca maligna Decembri,
Dum numerat palmas, credidit eſſe ſenem.

HENRICVS I. *cog.* SVPERBVS ELECTOR SAXONIAE V.



CAesarei custos lateris, sociusque laborum
Militiæ HENRICVS, sanguine Guelphus eram.
Me Cæsar generum sibi prætulit omnibus unum,
Si nescis, mihi dos Saxona terra fuit:
Aemulus ALBERTVS tantum decus invidet VRSVS:
Qui mihi sobrinus, qui mihi frater erat.
Ille manum glomerat bello: fatisque repulsus
Advocat in nostrum Cæsaris arma caput.
Sed frustrà: demum Soceri post fata, superbus
Cæsareas vires dum peto, perdo meas.
Res gravis ambitio, cæcæque superbia mentis
Exitium secum triste malumque trahit.

HENRICVS

HENRICVS II. LEO ELECTOR SAXONIAE VI.



MAgnanimus fortiſque LEO, virtute feroci
Exſuperas: palmis nobilis atque togis.
Regna patris reddit Cæſar: quæ Rhenus & Albis
Alluit, Hercinijs undique cincta jugis.
Vt lapſu graviore ruas, ſublatus in altum
Cæſaris imperium ſpernis, & arma capis.
Per tria luſtra vagus, ſpoliatus honore boniſque
Erras: cauſa fuit ſpiritus ille minax.
Vandalicos laus magna fuit domuiſſe tyrannos,
Et Chriſti populos edocuiſſe fidem.
Te vocat auctorem generis, ſoboliſque parentem,
Quæ Brunonis habet nomen ab urbe domus.

BERN.

BERNHARDVS II. ELECTOR SAXONIAE. VII.



A Scanio Princeps BERNHARDVS ſanguine natus,
Primus Saxonici Principis arma gerit.
Iuris amans, divûm metuens, animoſus in armis:
Libertas patriæ quo duce ſancta viget.
Quod manet imperij Germania laudibus aucta:
Virtuti magni debet id omne Ducis.
Vandalus expertus præſtantis robora dextræ:
Agnovit dominum quem coluitque ſuum.
Auratis enſes trabibus rutæque corolla
Ornat: & imperij deligit arma ſui.
Imperat octonis quater actis integer annis:
Imperij ſedes vrbs Viteberga fuit.

ALBER-

ALBERTVS I. ELECTOR SAXONIAE. VIII.



Cæſaris ALBERTVS Friderici Primus alumnus:
Caſtra diu ſequitur Cæſariana Comes.
Auſpicio cujus Cimbris erepta Lubeca,
Imperij rurſus ſub juga tracta venit.
Signa Palæſtinis Phariiſque tuetur in oris
Cæſaris:& domito victor ab orbe redit.
Mœnia ſubvertens Solis de nomine dicta:
Suſtulit inde caput, Barbara Diva, tuum.
Pontificis contra diras defendit OTHONEM
Conſtanti ſocerum mente fideque ſuum.
Suſtinet imperij per ſex octennia faſces:
Iuſtitiæ Princeps & pietatis amans.

ALBER-

ALBERTVS II. ELECTOR SAXONIAE IX.



QVando Romano Germania Rege careret:
Mœſtaque civili ſeditione foret:
Iura dabat populis ALBERTVS Saxonis oræ:
Romani cuſtos Enſifer imperij.
Ille novum dominum ſua per ſuffragia tandem
Te legit Imperio, magne RVDOLPHE, ſacro.
Connubiis natam ſocias memor ergo pudicis
ALBERTI: dos eſt patria, Brema potens.
Parthenopen dubio populoſam Marte fatigat:
Nunc victor, victus nunc redit inde domum.
Oppetit adverſâ mox cuſpide lœſus ab hoſte:
Leucoris exuvias Principis alta tenet.

RVDOL-

RVDOLPHVS I. ELECTOR SAXONIAE X.



IVstitiâ præstans animisque RVDOLPHVS & armis:
Cæsaris augusto nomine dictus Avi:
Parthenopen bello petit infestatque: paternæ
Aut ultor mortis, aut comes esse cupit.
Prælia clade pari miscent: dein civica turba
Vênit in hostiles, cæde cruenta, manûs.
Pax longam pugnam concors utrinque diremit:
Pax hominum studijs commoda, grata Deo:
Cui comes alma fides, libertas plena pudoris:
Felices populos, qui meruêre frui!
Regna decem lustris post annos possidet octo:
Pace domi mânes contumulatus adit.

RVDOLPHVS II. ELECTOR SAXONIAE XI.



NEc pietate Patri, nec Marte, RVDOLPHE, secundus,
Tu potes & patriæ miles, & esse pater.
Francorum jungis Regi socia arma PHILIPPO:
Quando te bello, Rex EDOVARDE, petit.
Ductor eras belli numero præstantior omni:
Pro meritis tibi Rex nomen equestre dedit.
Grande viæ precium, liventem sanguine Christi
Fers spinam: verum si modò fama canit.
Templa redux sacris insignia condis in urbe
Leucoreâ, sanctæ relligionis amans.
Bisseptem regnas magnâ virtute per annos:
Saxoniæ Fratri morte relinquis opes.

VVENCES-

VVENCESLAVS ELECTOR SAXONIAE XII.



NEc tu carminibus nostris indictus abibis,
VVENCESLAE, togæ militiæque decus.
Tu cultor superûm, tu juris amator & æqui:
Tu sanctæ custos relligionis eras.
Te bona facundæ commendat gratia linguæ:
Iudicis unde boni nomina digna geris.
Brunsuigam haud dubitas in prælia poscere MAGNVM:
Quem cruor & cædes bellaque semper habent.
Lunæburga tuæ fidei se dêdit: opemque
Spondet, & imperio pâret ovatque tuo.
Sola tibi contra jus & fas Cella rebellat:
Quâ mortem, duro vulnere læsus, obis.

RVDOLPHVS III. ELECTOR SAXONIAE XIII.



TErtius Ensiferi Ducis auctus honore RVDOLPHVS,
Dux pius & prudens magnanimusque fuit.
Sed fortuna, comes virtutis semper iniqua,
Haud fuit hunc dulci passa quiete frui.
Præsul tecta diu quem Parthenopæus in arma
Concitat: invadit dum sua regna ferox.
Sed benè, quòd cives levat obsidione, fugatis
Hostibus. at Mœni dum redit urbe domum:
Præsulis insidâ capitur Dux optimus arte
Frislariæ, Mogi qui sedet urbe potens.
Orbato tribus (heu!) natis priùs, invidus hostis
Crudeli miscet toxica cæca manu.

ALBERTVS

ALBERTVS III. ELECTOR SAXONIAE XIIII.



VLtimus Ascaniæ Princeps ALBERTVS habebat
Frater, Saxoniæ regna, RVDOLPHE, tuus:
Infelix animi Princeps, opis indigus, expers
Fraudis, & ingenuâ simplicitate bonus.
Lassus venandi studio, cum conjuge chara
Dum subit agrestem nocte madente casam:
Exoritur subitus magnis fervoribus ignis:
E quo vix nudo corpore salvus abit.
Tertius hinc morbo languet moriturus inerti:
Vix ubi regnantem tertia uidit hyems.
Marchio Cæsarei vindex FRIDERICVS honoris,
Saxonicum regit hinc, Cæsare dante, solum.

FRIDERICVS I. BELLICOSVS, ELECTOR SAXONIAE XV.

Remp. rô.
Rnûs. 38.



MIlitiæ FRIDERICVS amans, & Marte secundus,
Saxonici meruit nomen & arma Ducis.
Prusia pugnantem iuvenili robore vidit,
Pro patriâ, sanctâ pro pietate Dei.
Sedavit varios Comitum sine cæde tumultus
Francorum: rebus qui studuere novis.
Marte rebellantes domuit felice Boemos:
Acceptæ cladis Brixia testis erit.
Quid? quod pace bonus Musis facit ocia doctis:
Civibus & statuit commoda jura suis.
Invidiam virtute Ducum superavit & arte:
Cui fortuna comes semper amica fuit.

FRIDE-

FRIDERICVS II. PLACIDVS ELECTOR SAXONIAE XVI.

Remp. 21.
Rudolph. 39.



INgenio placidus FRIDERICVS,& acer in armis
Filius,armigeri gaudet honore Ducis.
Bella movet Francis ultor;pro fratre Boemos
Persequitur duro Marte, fugatque truces:
Sauromatasque domat,generosi Cæsaris ultor:
Lusatios armis territat atque minis.
Mox cum fratre gerit GVILIELMO bella coactus:
Pro Duce qui Brenni fervidus arma capit.
Dij tantum vetuêre nefas : qui pectore dirus
Hostis adit,subitò frater amicus abit.
Sexta fuit regni trigesima bruma peracta:
Quando domi placidâ morte sepultus obit.

ERNESTVS ELECTOR SAXONIAE XVII.

Remp. 22.
Anis. 42.



Conjugio felix, opibusque, & prole nepotum
ERNESTVS, pacis maximus auctor erat.
Amissum plagio primis cum Fratre sub annis
Sospitat ingentis provida cura Dei.
Signa Boemiacis victritia movit in oris:
Et sua te voluit jura, Narisce, sequi.
Pannona Matthiam Casimiro sponte Polono
Conciliat: facti Slesia testis erit.
Majestate gravis, cômis sermone, benignus
Officio, castus mente, fideque pius.
Sacrificûm passim luxûs compescuit armis:
Mortuus in patriâ jam requiescit humo.

FRIDERICVS

FRIDERICVS III. SAPIENS ELECTOR SAXONIAE XVIII. REX ROM. designatus.

Rcup. 23.
Rcu. 43.



PAcis eras custos, pacis FRIDERICE sequester:
Artis & ingenuæ cultor, & ore potens,
Sed pius inprimis, & relligionis amator;
Quæ Christi meritum speque fideque colit.
Phœnices Syriosque petis florentibus annis:
Et procul à patriâ trans mare curris humo.
Pannonijs Scythicos avertis finibus hostes:
In Venetos & cum Cæsare bella moves.
Arbiter imperij frustra moriente rogatus
Cæsare: te regno, CAROLE Quinte, legit.
Leucoreâ fundat præclara sub urbe Lycea:
Primus & hic tumuli nobile marmor habet.

IOAN-

IOHANNES I. CONSTANS ELECTOR SAXONIAE XIX.

Rem. 23.
Rm. 43.



MAgna dedit magno magnum constantia nomen
IOANNI: virtus nec pietate minor:
Quam constans animi defendit robore magni:
Quum stetit ad vultus CAROLE Dive tuos.
Cæsaris auspicijs, dum strenua sustinet ætas,
Militiæ gaudet præmia longa sequi.
Mœnia Regalis propugnat fervidus Albæ:
Et domitis cogit cornibus ire Padum.
Cætera pacificus, motus compescit agrestes:
Præsentem expertus semper adesse Deum.
Post fratrem, septem Princeps fortissimus annis
Imperat: ingenio proximus, ut tumulo.

IOAN-

IOANNES FRIDERICVS MAGNANIMVS ELECTOR SAXONIAE XX.

Regn. 24.
Aetat. 44.



QVem Patris & Patrui commendant nomina magna,
Quas tibi Dux laudes IANFRIDERICE canam?
Princeps magnanimus, notæ pietatis alumnus,
Assertor legum iustitiæque sacræ:
Pro patriâ, Christi mortem pro laude paciſci
Promptus eras: veri raptus amore Dei.
Adverſo vulnus fers captus & exul in ore:
Invictâ ſuperas mille pericla fide.
Non vis aut ferrum, non te ſors dura fatigat:
Liberat hinc victor te reducemque facit.
Plena metûs amor eſt Christi res, plena pericli:
Pro quo qui patitur plurima, victor abit.

IOAN.

IOAN. FRIDERICVS II. IOAN. VVILHELMVS ET IOAN. FRIDERICVS III. FRATRES Duces Saxoniæ.

Remp. 25. Kraus. 45.



SAncta Ducum trias, & concordia mutua fratrum
Spirat in hac tabulâ non moritura brevi.
Sancta Dei pietas regnat sub pectore sancto,
Alma fides, verbi gratia dia sacri.
Iuris & æquarum splendet reverentia legum:
Nec lateant artes ingeniumq; Ducum.
Multum nostra ætas his se debere fatetur:
Quòd sanctæ instaurant relligionis opus.
Exulibus præbent quòd docta Lycea Camœnis:
Quà Salana suos lustrat amœna choros.
Semper honos nomenque Ducum laudesque manebunt:
Quæ venit è Musis, nescia fama mori.

HENRICVS

HENRICVS PIVS DVX SAXONIAE.



PEctore quàm celſus Princeps, tàm moribus æquus,
Et pius, & veri ſimplicitate bonus.
Spontè Palæſtinas adoleſcens viſitat oras:
Suſtinet & ſanctæ mille pericla viæ.
Phryſia regna redux tenet hinc, ſic patre volente
ALBERTO: ſceptro regnat & enſe potens.
Friburgi tandem ſedem ſibi collocat arce:
Sorteque contentus viuit ouatque ſuâ.
Fratre ſed extincto cum prole paterna GEORGO
Poſsidet, & verbo cœlica regna beat:
Propugnatque fidem rectam conamine magno:
Principis inde PII nomen & omen habet.

MAVRITIVS MAGNVS ELECTOR SAXONIAE. XXI.

Remp. 24.
Rads. 49.



Missus in imperium magnum de paupere regno
MAVRICIVS, bello maximus atque togâ:
Pannonium tyro primùm pugnavit ad Istrum:
Altera bis Gallis intulit arma ferox.

Omnia sunt hominũ tenui pendẽtia filo,
Et subito casu quæ ualuere ruunt.
Vt perit in primo Pelides flore iuuentæ,
Pyrrhus & hoc ipso de genitore satus.
Ac Asiæ domitor Macedum de stirpe creatus,
Et qui Burgundas Carolus auxit opes:
Sic iam Mauricium nimium properantia fata
Saxoniæ terris eripuere Ducem.
Qui Gallos Turcosq; feros uirtute repressit,
Militiæ præstans artibus atq; togæ.
Hic modo cum patriã iustis defenderet armis,
Fudissetq; hostes auxiliante Deo:
Fraude globus missus uictorẽ uulnerat, inde
Post pugnam uitæ non mora longa fuit.
Commendãs animã sed Christo, exordia uitæ
Hausit cœlestis non dubitante fide.

Est fragilis natura hominum, sed reddere uitæ
Gaudia uult Christus non moritura pijs.

ANNVS NATIVITATIS
1 5 2 1.

InſIgnIs beLLo MaVrIcI nesCerIs Heros,
SpICa VbI ſe IungIt SoLe or ente ſaLo.

ANNVS IN QVO INAVgur∣atur Electoratui Saxoniæ. 1 5 4 8.

ELeCtorIs VbI SaXo ſVsCepIt honores,
MaVrICIVs, pIsCIs SoL VagVs astra pe(tIt.

ANNVS OBITVS,
1 5 5 3.

TorMẽto ELeCtor SaXo perCVſſVs obIVIt,
EX CanCro InſtItVIt SoL VbI abIre rotIs.

VVITTEBERGAE. 1 5 5 9.

AVGVSTVS PIVS ELECTOR SAXONIAE XXII.

Regn. 24.
Reli. 49.

IMperij sacri Septemvir, & inclytus heros,
Cæsaris AVGVSTI nomen & omen habet.
Mente pius, pietate gravis, gravitate verendus:
Consilio prudens, justitiaque potens.
Cæsarei vindex decoris cum fratre triumphat:
Signa per Atrebates bellica quando movet.
Armorum patriam formidine solvit: & altæ
Expugnat victor Martia castra Gothæ.

HAEc ducis Augusti facies qui pacis amator
Roma tuum Augustum nomine, reqꝫ refert.
Iustitiaqꝫ tenens populosam Saxonis oram
Suscepit fratris frena relicta sui.
Huncqꝫ sibi generum Rex prætulit omnibus unum
Qui tenuit iusta Danica sceptra manu.
Nota uiri uirtus, nota est constantia mentis,
In pietate fides, pro pietate labor.
Ergo nec inuidiā metuit, nec triste minantes
Excidium regno Marte latente suo.
Non uis, aut numerus, tandem bona causa triumphat,
Defendente Deo nulla ruina nocet.

Augusto imperium Deus augeat, augeat annos
Sic crescet nati gloria uera sui.



ANNVS NATIVITATIS
1526.

SaXonIæ AVgVstVs DVX est pro DVCtVs In aVras
ToLLerIs æstIVe Vt LVCe orIente CanIs.

VVITEBERGAE 1559.

CHRISTIANVS I. ELECTOR SAXONIAE XXIII.

Reg. 25.
Aetat. 50.



PAce potens belloque, sui flos inclytus ævi,
CHRISTIANVS Princeps Saxonis ille domûs:
Imperij sacri columen simul & decus: heros
Mente vigil, fortis pectore, corde catus:
Fervidus ingenio, cômis sermone, severus
Vultu, re constans, sensibus innocuus.
Iustitiæ cultor, rigidi servator honesti:
Et fastûs osor, fraudis & hostis atrox.
Bis sex vix lustris, & denis mensibus actis
Occidit (heu!) gentis fida columna suæ.
Magnus ALEXANDER sic, hujus & æmulus alter
MAVRITIVS patruus concidit ante diem.

n. 1560. 3 Nov.
† 1591. 25 Sept.
ann. 30. 34 dies.

FRIDE-

FRIDERICVS VVILHELMVS DVX SAXO-NIAE ET PROELECTOR.

Remp. 26.
Reg. 46.



QVàm benè Saxonicæ Curator maximus oræ,
Atque Ducum Tutor diceris ipse trium,
Summe Ducum Dux ô FRIDERICHVVILHELME! (voluntas
CHRISTIANI Patris hoc nempe suprema rogat:
Præcipit hoc ipsum quoque lex agnatica: sacri
Aurea & Imperij sanctio certa jubet.
Suadet at inprimis pietas & cura nepotum,
Et tua, jam patriæ cognita, magna fides.
Per te sancta Fides & Virtus crescit: alumnis
Principibus comes & gaudet adesse tuis.
Publica res per te geritur benè numine diuûm:
Pax, & tuta Quies floret, & alma Salus.

CHRISTIANVS II. IOAN. GEORGIVS ET AVGVSTVS, DVCES SAXONIAE fratres.

Rem. 26.
Reusn. 50.



QVæ Trias hæc? Fratrum. Sed quorum? Saxonis ora
Quos sibi prognatos numinis instar amat.
Quod nomen? Medius CHRISTIANVS: at iste GEORGꝰ
IANVS: & AVGVSTVS tertius ille sedet.
Quis Pater? Imperij CHRISTIANVS nomine Princeps
Septemvir. Mater quæ? SOPHIA alma parens:
Magnus cui pater est Elector Marchidos oræ:
Principibus natis, Principe digna patre:
Quod studium? Pietas, virtus, doctrina, fidesque:
Qua spe? Floreat ut publica ritè salus:
Quo duce? Magnanimo fit Principe tale magistro,
Qui patriæ pius est tutor & ipse pater.
Salveat ô fratrum Trias hæc veneranda potentum:
Perpetuis semper floreat aucta bonis.

IOAN-

IOANNES DVX SAXO-
X O I· AE.



HOc caput, hæc frons eſt, hæc labra, hæc lumina tandē,
Hoc pectus magni denique corque Ducis.
Scin' nomen? nomen dat Gratia dîa IOANNI:
Saxonicæ Dux eſt fida columna domus.
Dulce caput, proba frons, labra mellea, lumina blanda,
Pectus & eſt ſapiens, corque fidele Ducis.
Vnus habet divûm tot dotes corpore pulchro:
Gaudet in hoc ſedem quisq; tenere ſuam.

IOHANNES CASIMIRVS DVX SAXONIAE.

Remp. 26.
Reign. 45.



PRincipis hâc ſpirat facies animata tabellâ:
Artificis ſcitâ tam benè picta manu.
Cui formoſa Charis ſine nube ſerenat ocellos:
Cui Peitho roſeis ſeſsitat alma labris.
Cui cerebrum complet ſapientia magna Minervæ:
Cui Pietas medio pectore tota ſedet.
Denique hic eſt toto Dux IANCASIMIRVS in orbe,
Notus juſtitiâ, relligione, fide.

IOAN-

IOANNES ERNESTVS DVX SAXONIAE.

Kemp. 26. Regni. 45.



QVæ colitur violis pictura rosisque decoris,
Cernis ut heroo servet in ore decus!
Saxonis illa Ducis IANERNESTI exstat imago:
Oscula cui figit Musa Charisque frequens.
Certatim dat turba Duci sua munera divûm:
Hermes eloquium: Phœbus & ingenium.
Mars ensem: Cytheræa decorem: Pallas & artes:
Iuno dat sceptrum: Iuppiter ipse togam.
Posse loqui dicas superûm tot dona tabellam:
Scilicet hac toto par nihil orbe manet.



IN RVTAM INSIGNE INCLYTÆ DOMVS SAXONICAE.

SErpentes catosque fugat, prohibetque venena
Ruta virens, oculis certa medela malis.
Fœda Venus quos vexat adulandique libido,
Cordati procul hos Principis aula fugat.
Peſtis enim regni ſunt magna, venenaque certa;
Quæ prohibent oculos cernere vera Ducum.
Adſit Ruta virens, heroum nata coronis:
Splendida Saxonicæ quæ decet arma domûs.
Caſtus amor, verumque potens, & candor in aulâ,
Simplicitas prudens regnet, & alma fides.
Scilicet hæc olim caſti BERNARDVS amoris
Symbola Septemvir cenſuit eſſe ſui:
Vrbe redux Venetâ, quum Saxona regna capeſſens,
Mutavit clypeos gentis & arma ſuæ.
Salve Ruta potens longum frondoſa per ævum:
Imploretque tuam veſper & ortus opem.

1 Thüringen

FINIS.



9 [illegible]
10 graffschafft [illegible]
13 graffschafft Brena